20

JOHANNIS DANIELIS GOHLII,
COLLEGII CÆSAREO-CAROLINI NAT. CUR. COLLEGÆ ET
SOC. SCIENT. BEROL. SOCII,

DISSERTATIO EPISTOLARIS

AD

VIRUM EXPERIENTISSIMUM ATQUE DOCTISSIMUM

DOMINUM

CHRISTOPH. ERNESTUM CONOVIUM,

MEDICINÆ CANDIDATUM MERITISSIMUM

IN QUA

DE

SPINA VENTOSA

QUATENUS GENUINO CAUSARUM SUARUM FONTI
PER EMPIRIAM RATIONALEM VINDICANDA,

AGITUR

ET

DE HONORIBUS DOCTORALIBUS,
IN ALMA FRIDERICIANA

ANNI 1727 MENSE JANUAR.

COLLATIS

GRATULATUR.

VIRO PRÆNOBILISSIMO, CLARISSIMO,
NEC NON DOCTISSIMO

CHRISTOPH. ERNESTO CONOVIO.

S. P. D.

JOHANNES DANIEL GOHL.

LOnga, qua tecum fruitus ſum, Amice Doctiſſime, Doctorande digniſſime, conſuetudo me obſtringit, ut publicum aliquod amicitiæ, quæ nobis diu interceſſit *τεκμήριον* exhibeam, quod ſatius præſtare non potui, quam iſta maxime opportuna occaſione, qua neceſſarium Doctoris titulum tuis non vulgaribus in Anatomia practica & praxi clinica meritis honorare & colluſtrare, maturus admodum occepiſti. Te enim certe honores magis ambire, quam tu honores, debuerunt.

Quare in præſentiarum pro themate præſentibus litteris, quibus tuam Inauguralem comitari placet, evolvendo, *Hiſtoriam ſpinæ ventoſæ*, mihi ſumſi, quam practice percurſare & inde empirico-rationalem ejus rationem eruere mecum conſtitui, quod ut æqui bonique conſulas, eſt quod peramanter mihi expeto.

Morbum hunc Medico-Chirurgicum, in progreſſu ſatis atrocem, non ſtatim ab ovo petere, ſed per juſtam & bene fundatam Empiriam, quid in ſubjectis variis de facto accidere ſueverit ante enarrare melioris rationalis deductionis ergo, utile & neceſſarium eſſe duxi.

Inchoabo per *Exempla in ætate puerili utriusque ſexus* occurrentia, ubi primum quod ſequitur, ex propria mea praxi depromptum, reliquorum facile norma eſſe poterit. Puer 9. annorum a parentibus honeſtis ruri natus, Achoribus cum aurium manatione, per menſem forte durante, affectus, ex inſcitia parentum, quaſi re bene geſta Unguento Sulphurato inunctus, ſtatim poſt in altero pede doloribus lancinantibus & lacerantibus per 14. dies continuos prehenditur, donec tumor in metatarſo admodum furens & rubens, idemque mox etiam in metacarpo

Caſus I.

manus

manus exſurgens, ad tactum ſenſibilis, venisque inflatis conſpicuus apparuerit, inque modum *Arthriticæ apoſtaſeos*, hac vice deferbuerit. Tales per 14 dierum intervalla recurſus ſervavit Morbus per triennium, patientemque ob pedum manuumque ex tumore & dolore inflammatorio impotentiam, reddidit clinicum, utque tanto magis *arthriticum* morbus mentiretur *ſchema* etiam Nucham occupabat cum tumore & dolore, ut hinc caput vertere nequiverit. In tali ſtatu anno 1720. delatus fuit hic patiens ad Fontem Freyenwaldenſem. Ubi ipſum, præparato per laxans corpore, infuſo calido radicum & herbarum reſolventium per omne quod ibi commoratus eſt tempus, interne tractavi. Balnea autem externa videbantur materiam depoſitam commovere, ut a varie translata iſta, tuberculum, *quod ſuppuratum mox conſolidatum*, molle ſed dolens ſub axilla ſiniſtra, tumoresque in articulos digitorum genuumque dolentes & rubentes delatos, imo hinc inde furunculos, ſub Cura acceperit, hinc illorum continuatio interrumpi quidem, ſed tamen non aboleri debuit. In exacerbatis enim paroxysmis regimen ad diaphoreſin compoſitum, tumorumque in metacarpis, metatarſis & articulis, rubentium & admodum dolentium frictio cum ſpiritu a ſpeciebus Arquebuſadæ abſtracto, dephlegmato, largiter camphorato & crocato, ſuper impoſito Emplaſtro de Minio camphorato, inſtituta ad ſenſum mitigabant ſymptomata, ut hinc patiens ad uſum Balneorum per vices redire potuerit. Huic methodo, ubi ultra bimeſtre temporis ſpatium inſtitit noſter, plenarie inde poſtmodum, ſine eventu Cariei, convaluit, & vivit adhuc, ni fallor, ſoſpes incolumisque.

Docet hic caſus *achoroſam materiam* in ſanguinem repercuſſam, & hinc inde actam, *arthriticum* ſaltem *mentiri ſchema*, magis tamen diſpoſitam fuiſſe, ut ad oſſa deponatur, ibique ſtaſin, fixamque ſedem nacta, malignam poſt ſe trahat corruptionem. Mentionem jam tum feci hujus caſus in *Dec. I. Vol. VII. Act. Med. Berol. ſect. I. p. 10.* & nunc ibi datum promiſſum exſolvere paratus ſum. Quod hic caſus ad *Spinam ventoſam* referendus ſit, non facile credo quenquam dubitaturum eſſe, cum pathognomonicus apparatus, nimirum depoſita ad metacarpos manuum & metatarſos pedum materia, & hinc enatus tumor inflammatorius admodum dolens, cum metu tandem ſuperventuræ profundæ oſſium corruptionis, in dato caſu adfuerit. An autem puerum XI. annorum, quem tumor & dolor immanis in genu dextro invaſit, qui inde per plures cor-

poris artus vagando ambulavit, cum Domino Acolutho, Hiſtoriæ Autore, pro tali, qui *ſpina ventoſa* facta laboraverit habere debeam, anceps admodum hæreo. v. *A. N. C. Dec. II. Anni VI. obſ. 22. in fine.*

Caſus 2dus Adhuc unum exemplum noviſſimum ex propria mea praxi ſuccurrit, quod ad achoroſæ materiæ ad artus depoſitionem, referendum eſt, & cujus Curæ proceſſus adhuc ſub manibus eſt. Puella videlicet, Freyenwaldenſis, patre orbata, ſeptimum agens annum, Anna Dorothea Thirling vocata, Menſe Majo anni currentis 1726. offertur mihi, ut conſulam, an Balneum Freyenwaldenſe ad affectum quadret, nec ne. Ante trimeſtre ſpatium in dextro metatarſo ſimul & ſemel ſenſit dolorem rodentem pungitivum, quem initio mater levi habens, pro ſigno incrementi corporis interpretata eſt, ubi autem nihilominus dolor perſeveravit, puellamque pedibus niti impedivit, Doliarium, luxatos artus reponere doctum, adit, ut pedem ſuo ſitui reſtituat; quo incongrue ſatis præſtito, ne ſic quidem apparuit dolorum pauſa; Inſtitit ergo pſeudo-Chirurgus, Doliarius, pro Cataplasmate ordinare, ſem. Lini contuſ. Lupulum, Sperma Ceti cum aceto, lege artis ſubactum, ſed infelici effectu, cum incremento potius tumoris & doloris. Hinc ante tres ſeptimanas materia ſubtus extravaſata corrupta ſponte ſibi viam per ulcuſculum apertum paraverat, ex qua tenuis ſaltem ichor hactenus exierat. Tumor in ſe ſpectatus erat durus, rubicundus, ad tactum dolens, in conſpicuam molem, extra reliquam pedis proportionem, elatus. Non multo poſt ſimilis dolor & tumor ultra carpum circa extremitatem radii ſiniſtræ manus evenit; qui quanquam ſimili Cataplasmate Doliarii tractatus, nondum erat apertus. Præ continuo autem, quem puella æque diu ac noctu ſuſtinebat, dolore, vix tangi manum permittebat. In hoc tumore, ad latus internum brachii, circa caput radii locus apparebat mollior. Ut ergo ſtatim Chirurgus loci, Cansdorff vocatus, adeſſet, curavi, ejusque curæ manuali ipſam tradidi, qui in molliore tumoris notato loco cauterium impoſuit; ſicque viam materiæ ſaltem ichoroſæ tenuis exitui paravit, ſimulque deprehendit fungoſo laxam fibroſamque intus contineri ſubſtantiam, quæ ſeparanda eſſet. Supervenit mox poſtea adhuc novum ulcuſculum non procul a primo facto orificio quod leviſſima ſectione in unum conſtituit. Adhibuit ergo poſtmodum omnem diligentiam, ut talem, medelam impedientem, oſſaque tegentem, luxuriantem ſubſtantiam removeret, quæ autem iſta, qua extirpata fuit quantitate, ſemper

ſuccre-

ſuccrevit ut ad oſſium usque immediatum conſpectum non niſi multo labore pervenire potuerit. Deprehendit demum ſub ulteriore tractatione oſſium ſtatum ibi penitus eſſe perverſum, eroſum, non amplius continuum, ſed ob laxam ſpongioſam, potius pumicoſam, per omnem dimenſionem auctam ſubſtantiam, majus ſpatium occupantem, hinc talem elatum & durum ad extra conſpicuum tumorem formantem. Luſtravi talem oſſium intrinſecum ſtatum egomet ipſe aliquoties, præprimis ubi ulcerum ſatis conſpicua cavitas cum tempore & poſt ſeceſſionem humoroſorum oſſiculorum tam in metatarſo pedis dextri quam ad latus internum brachii ſiniſtri in inferiore radii parte facta eſt, & id quod jam dixi, manifeſto deprehendi. Memorabile eſt, quod oſſa, ſiquæ denudata conſpiciuntur ſint alba colore, neutiquam nigredine infecta, & quæ, poſt extirpatam fungoſam materiam, ſicciora apparent, difficillime exfoliantur, quod ichor exiens tam inſigniter non fœteat, quod oſſa luxuriante fibroſo laxa ſubſtantia ſemper denuo citra vix poſſibilem extirpationem, obtegantur, illaque ſubſtantia in modum alius luxuriantis carnis avulſa ſanguinem ploret. Et prout oſſa, ita etiam tendines luxuriante & fungoſa ſua teguntur carne.

Ubi matrem percontatus ſum, unde malorum horum lærnam inſons puella deportaverit, initio contendebat id penitus ſanæ, (prout ceteroquin talis eſſe apparebat, ſaltem quoad habitum corporis paulo macilentior,) von heiler Haut, ita accidiſſe. Tandem fatetur *Tineam* caput puellæ ante hoc malum occupaſſe, & ne invaleſceret Phthiriaſis, detonſum caput, unguento pomato inunxiſſe. En ergo originem tam infenſi & deſperati mali! ad cujus impactionem in loco decubitus ingens ſuum ſymbolum contulit ad triremes condemnandus Pſeudo-Chirurgus, Doliarius.

Caſus hic adhuc manibus teritur Chirurgi, aperuit ſibi conſpicuam in utroque ulcere cavitatem, apparet omnis perverſe conſtitutorum oſſium ratio magis ad viſum, multorumque adhuc abſceſſurorum & mobilium oſſium fragmentorum certitudo ſtyli tactu deprehenditur. Manus ſtatus præ pedis ſtatu mihi pejor videtur, propterea quod pollex ob tendinem ejus extenſoris denudatum, totus ſtupidusque ſit, ſedes ulceris in ipſa carpi junctura oblique ad condylum ulnæ usque procedat. Dein apertura ulceris ad latus internum brachii prope juncturam manus facta, ad limbum ejus decurrentem habeat arteriam, qua pulſum

 tan-

tangere ſolemus. Uncialem ferme ulcus & quadrilateram quaſi, cum inſpicerem, habebat profunditatem, in cujus fundo anguſtior ille jam dictus cuniculus ſtilo explorari poterat qui oblique ad condylum ulnæ ferę pertingere videbatur. Ubi autem altera poſt octiduum vice idem inſpicerem, tota ferme cavitas carne expleta erat nec carptis linteis ſuffercinatum ab accretione impediri potuit, quin ſi cöalitum ſit, in profundis latitans cuniculus, ſuum poſtlimium non ſit brevi repetiturus, & hoc ex oſſium nondum rite conſtitutorum ratione.

Quod in tali rerum ſtatu nulla ſanatio ſolida ſperanda ſit facile ex circumſtantiis difficillimis colligi poteſt. Ichor enim qui perpetuo in copia extillat, ex diſcontinuatis & eroſis tendinibus & ligamentis meliceriæ fluxus quod ſit, ratio loci affecti poſtulat. Quod etiam tam copioſa laxa fibroſo fungoſa excreſcentia carnea ſemper de novo ex tendineis læſis locis, & par ſui generis ex oſſibus eroſis & tumefactis, propullulaverit, de ſucceſſu curationis minus felici nec minus dubitare faciunt: Et quod denique tota oſſea metacarpi & carpi manus ſiniſtræ, ut & metatarſi dextri pedis, baſis, in præternaturalem & nunquam reparabilem, ſed pumicoſam, laxo-poroſam degeneraverit ſubſtantiam, ex reliquis eminenter comprobat, ante nullam ſperari poſſe ſanationem, quam omnis iſta corrupta & a naturali ſtatu deſciſcens oſſea baſis ſit vel excreta vel exemta; Et cum eo pervenire neque per adminicula artis neque per naturæ miniſteria, niſi miracula præter, queamus, vel detruncanda erit pars immedicabilis, ad quod nec matris nec puellæ animus diſponi poterit, cum ſic mutilata ſaltem oneri foret, vel miſera ſuo relinquenda eſt prognoſtico.

Quid *rhevmatico arthritica pathemata* ad geneſin *ſpinæ ventoſæ*
Caſus I. conferant ex ſequentibus diſpiciendum erit exemplis. Puer X. & ultra annorum occurrebat anno 1720. ſpina ventoſa jam tum conſummata affectus, qui per plures jam retro annos a dolorum rhevmaticorum materiæque per illos compulſæ decubitu, *ad hunc genium referendus etiam eſt Caſus alter & ſecundus Benivenii de abd. morb. cauſis C.79.* ad artus facto, exulceratum monſtrabat brachium, ex quo ſæpius carie exeſi oſſis humeri portiunculæ exierant cum plenaria ejus aridura. Uti & nodoſus durus & rubens tumor ad anconem cubiti reſidebat, qui quod exulceratus fuerit, & binæ cicatrices & unicum adhuc tamen plorans ulcuſculum, monſtrabant. Simile ulcuſculum etiam obſervabile erat in meta-

carpo

carpo Manus & Homoplatæ ſpina, collum præterea ſcrophulis erat obſitum. Sentiebat & adhuc hic puer, ſuas per intervalla exacerbationes a commota materia rhevmatica per modum febris cum doloribus in juncturis pedum & tunc ipſum clinicum eſſe oportebat. De eventu nihil conſtat, cum aquarum mineralium, Balneorumque uſus ad tales eousque devolutos affectus non quadrent, habilisque Chirurgus, qui curam mali in ſe inſanabilis & deplorati in ſe ſuſciperet tum præſto non eſſet.

Ita quoque puer 15. annorum, Mittewaldenſis, Chriſtianus Martinus Hertzberg vocatus, ante quinquennium *doloribus articularibus* excruciatus, tandem materiæ depoſitionem nactus eſt fixam ad manus & pedes cum exulceratione metacarpi & metatarſi, oſſiculorumque eroſorum abſcedentium una cum tenui materia, excretione. In tali ſtatu accedens Fontem mineralem Freyenwaldenſem ibi medelam ſui mali fore ſibi quidem perſuaſit, aſt cum magna ſpei fallacia, tabidus enim ex ulcere pulmonum quoque, vix oſſibus hærebat. Cum nihilominus, ne gratis fontem acceſſiſſe videretur, in ſemicupium, admodum tepidum, deſcenderat, ob exacerbatum partium ulceroſarum ſtatum, idem ultra ob defectum virium tentare nec auſit, nec ob mortem prævenientem, amplius potuit. Commode huc etiam referri poteſt Caſus a *Fabr. Hildano Cent. 2. obſ. 36.* ferme in fine memoratus, ubi puella 20. annorum, ex metaſtaſi, materiæ morbi acuti ad tibiam, cariem invincibilem deportaverat. *Caſus 2dus*

Magis memorabile eſt hujus commatis exemplum, quod ſequitur. *Caſus 3tius*
Puer 7. annorum, Freyenwaldenſis, filius Nautæ Kulick dicti, die X. Maji, anni currentis 1726, mihi offerebatur, Lagophthalmo affectus cum copioſa Ichoris per univerſum oculi ambitum ploratione. Faciem ubi intueor, apertum adhuc in dextra gena gerebat ulcuſculum, tenuem ibidem ſtillans ichorem, præterea ſpiritum ducebat ſtreperum & rhonchiſonum. Ubi matrem expiſcor, unde puero hæc mala evenerint, perhibet, quod per initia de *dolore genuum* conqueſtus fuerit, in quibus etiam per intervalla *tumores rubicundi dolentes* exorti fuerint, prout etiam hucusque a doloribus pedum nunquam immunis habitus ſit. Quartum agens annum, tumorem durum & dolentem in dextra nactus eſt gena, quem loci Balneator aperuit, ubi præter ſanguinem nihil puris exiit, potius in mali moris ulcus abhinc degeneravit et conſtanter ſanari non potuerit. Brevi poſt tumor etiam lividus occupavit palpebram

fini-

ſiniſtram, qui cum ſe diſcuti non pateretur, abiit in ulcus. Accerſitus Chirurgus Caſtrenſis, ulcuſculi minutulum orificium ſectione extendit, ſed abhinc etiam oculo claudendi potentiam ademit, nec ſanari potuit. Ante anni quadrantem *Tumor ſcrophuloſus* etiam ſub ſiniſtra exoriebatur gena qui ſponte abſcedens, evacuata materia, poſtea coaluit. Rebus ita ſe habentibus, patiens ad me deferebatur, percontatis jam memoratis circumſtantiis, patientem internis ipſe proſpecturus, quoad externa Curæ ipſum tradidi, Chirurgo loci, Cansdorffio. Qui palpebram ſuſpenſam & quaſi inverſam examinans, unicum in altero latere invenit ulcuſculum, ſed profundioris indaginis unde tanta ichoris quantitas, quæ ſingulis nycthemeris pullulare ſueverat, ſuum quaſi fontem habere, præſumendum erat. Quo frequentius etiam vulnus manibus contrectabat, eo penitius ejus naturam cognoſcebat, notabatque os frontis ſupra oculum in ſinuoſo, intus ſua membrana obducto loco, ulceroſo-carioſum, eſſe, quippe ad pollicis applicationem & preſſionem crepere & intro cedere, ſentiebatur. Ichor etiam, qui effluebat, male olere adeoque de oſſis corruptione teſtari, deprehendebatur. Dum itaque de modo, quo agnito huic tam ſontico malo occurri queat vel non queat, conſulitur, inopinato, puer, macie, quoque multum confectus, ſuperveniente enormi narium hæmorrhagia, repente ſuffocatus extinguitur. Sectio poſt fata a parentibus denegabatur, ex qua conſtare potuiſſet, an in communionem eroſionis etiam aliquod vas ſanguiferum raptum fuerit.

Jam quid *Variolarum materia*, a qua non rite ſatis ſanguinis maſſa depurata conferat, ad geneſin *ſpinæ ventoſæ* per exempla diſpiciendum eſt. Ubi ſtatim in *Dec. I. M. N. C. Anno VI. & VII. obſ. 100.* occurrit Hi-
Caſus I. ſtoria a *D. Winclero* recenſita, ubi puella 10. annorum poſt *variolas* tumoribus duris tam in brachiis & manibus, quam pedibus ægre ad ſuppurationem pervenientibus, & ubi eo pervenere ichorem ſaltem tenuem plorantibus, per interna ſanguinem & externa ulcera mundificantia in integrum reſtituta fuit. Quo in caſu tempeſtive lata medela corruptioni oſſium ſine dubio prævenire debuit, alias tam certa ſanatio evenire non potuiſſet. Admodum analogus eſt Caſus, quem *Aculuthus* memorat *in M. N. C. Dec. II. A. VI. Obſ. 22.* Exemplo primo.

Caſus 2dus Nec minus memorabile eſt Exemplum hujus commatis, quod *Dec. II. A. IV. M. N. C.* obſervatione 74, *Wagnerus* refert de inclyto quodam

Litho-

Lithotomo Aroviano, cui in pueritia, ex *variolarum* antegreſſarum relicta materia *ſpina ventoſa* in oſſe humeri evenerat, quod totum carie exeſum Tiguri in Noſodochio publico ipſi exemerant; a qua tamen peſſima oſſium læſione ſpatio 14. menſium percuratus fuit, ut nunc quinquagenario major curtis ſuis brachiis nihilominus ſuas operationes valide exercere potuerit. Hic certe plenaria oſſis corrupti ſeparatio & extractio medelam tam ſecundam promovit, alias tam dextre ſequi minime potuiſſet. Qualem autem ſtatum Vaſa & Muſculi os humeri ante obtegentes, poſtea nacti fuerint, αντοψία docuit, quomodo autem ſine reliquæ œconomiæ, ex mutuo partium nexu & uſu mechanico pendentis, turbatione contigerit, Naturæ ſibi de ſe & de illo quod in corpore fit, ſatis conſciæ, & ſæpe ultra noſtrum ſcire quid agenti, relictum manſit.

In puero quodam Bregenſi *variolas* nigredine tinctas alias periculoſisſimas cum metaſtaſi ad cerebrum eveniente, ſuperante, & ne ſic quidem a reliquiis *varioloſæ materiæ* reſtitantibus & infenſis præſervato, relicto cerebro ad articulos pedum manuumque, ad ſpinam quoque ceſſiſſe materiam παιδαρθροκάκην formantem, illumque poſt multos & diuturnos dolores defatigatum fatis cedere coëgiſſe refert *Winclerus in M. N. C. Dec. I. A. VI. & VII. obſ. 108.* Idem *a Variolis* in oſſibus evenire confirmat *Fabritius Hildanus* partim *Obſ. 95.* magis tamen *obſ. 96. Cent. IVtæ.* His accenſeri poſſunt, quæ habet *Pelargus Tr. de Variolis & Morbillis p. 69.* ut & *Obſervationes 129. 130. & 131.* a *Muralto* ad acta *Nat. Curioſ.* communicatæ *A. III. Dec. IIdæ* & ille tam ſonticus in *Act. Noſtr. Ber. Vol. VI. Dec. I. ſect. 2. p. 75.* notatus in cariem oſsis femoris & tibiæ, devolutus Caſus, itidem *varioloſæ materiæ* non ſatis expurgatæ in acceptis ferendus. *Caſus 3tius*

Quod *Spina Ventoſa* porro ſua incunabula quam communiſſime ex *Lue venerea* depromat ſeorſim per exempla & obſervationes partim proprias, partim aliunde depromptas, facile erit evincendum; Beatus noſter Schwarzius, cum praxin maxime ageret Berolini inter pauperes, ſequentem obſervationem notatam reliquit. Puella 3. annorum, per integros duos priores annos lacte Matris, *Lue venerea* infectæ, quod palam erat, enutrita, ſub ipſo lactationis tempore incolumis manens, niſi quod ſemel aliquando puſtulas effloreſcere, ſed ſtatim deſiccari, mater animadverterit, poſt ablactationem, manus & pedes in quibusdam locis *Caſus primus.*

tume-

tumefieri, nodisque duris dolentibus rubentibusque obſideri ſentit, ad quæ cum ex proprio conſilio adhibuerit mater, quæ in promtu fuere, ex parte ſponte ad abſcedendum & exulcerandum pervenere, pluraq; oſſicula carie exeſa, nigredine autem non notata, ſucceſſu temporis extruſa fuerunt. Quod iſta puella per uſum laxantium mercurialium, Decoctorum ex Lignis & radicibus reſolventibus, ſpiritusque Tartari antivenerei Zobelii remiſſionem Symptomatum nacta, quidem meminit, de eo autem, an plenarie quoad carioſa ulcera perſanata fuerit, ſilet, niſi quod generatim ſubjungat, ſalivationem in dato Caſu eſſe inutilem, ut ſcalpris caries extirpetur, locum non concedere, Naturæ potius relinquendum eſſe negotium, multa enim incaſſum tentata eſſe.

Caſus 2dus. In propria praxi mihi obtigit Anno 1712, cum ad Fontem Freyenwaldenſem eandem exercerem, ut mater *Lue venerea* vere infecta una cum filio 8. annorum eadem infecto, accederet, medelam ſuorum malorum ibi obtenturi. Tophos in cruribus exulceratos cum abſceſſione osſiculorum carioſorum habebat filius ut mater, ex mutua miasmatis per Lac communicatione, prout mater a marito, illud filius ſuſceperat. In Balneis remedium pro tam protracto, inveterato & ad corruptionem oſſium usque exaltato malo, non erat. Dolores enim oſtocopi in ambobus patientibus ad majorem per noctes exacerbabantur dolorum vehementiam, ut viciniam ejulatibus implentes moleſtiam aliis ſomnum appetentibus non ſaltem crearent; ſed & ob incongruum malo quæſitum remedium, lares repetere, coacti fuerint.

Sequuntur adhuc nonnulla exempla *ſpina ventoſa* laborantia, quorum cauſæ internæ, quæ ſe effectu prodidit, ſtirps patere noluit. *Caſus I.* Juvenis nobilis 14. circiter annorum, 6tum agens ætatis annum, primo in digitis annulari & auriculari, & quidem in illorum articulis mediis, tumore rubente, dolente demum etiam abſcedente, ex quo plura carioſa oſſicula excreta fuere, prehenditur, demum malum etiam ſe transfert ad manum dextram pedemque ſiniſtrum in carpo *quod manum perforaverat in vola ad radicem pollicis usque,* externo illius, hujusque metatarſo elatum durumque tumorem efformans, ubi etiam Anno 1718. poſt uſum Balneorum Freyenwaldenſium in ulcus apertum utrinque ceſſit, Sic porro diverſorum Chirurgorum curæ traditus, illum actuali adhibito ad loca carioſa cauterio a quodam Chirurgo Caſtrenſi, ad Regimen Dörfflingenſe pertinente, curatum eſſe, perhibent.

Alius

Alius puer, Wrizenſis, X. annorum ex indicta cauſa, niſi, quod terrorem incuſſum aliquando parentes prætendere volebant, tumore, in externo ſiniſtræ manus carpo, duro & elato, ſimilique in utroque pedis metatarſo, cum acutisſimo dolore affectus, Chirurgum, Neiſerum, urſit ut inſtrumento aperiret, ex quibus poſtmodum exulceratis partibus, multa carioſa exiere oſſicula, neque ad conſolidationem ſe diſponi paſſæ ſunt, præter unum in metatarſo ulcus, quod mala fide cöaluit. Accedebat Anno 1718. in tali ſtatu ad Mineralia Freyenwaldenſium balnea, ſed cum neutiquam malo appropriata eſſent, ſine medela receſſit, ſemper exulceratior factus, intraque anni abhinc ſecundi curſum, Variolis ſupervenientibus fatis ceſſit. *Caſus 2dus*

In *Miſc. N. C. Anno VII. Dec. II. obſ. 142.* habetur Caſus pueri 4 ſaltem annorum, filius pannificis, cui ſine cauſa pariter manifeſta in *medio ſiniſtræ manus digito*, dolor evenerat punctorius inſignis cum tumore laxo & ſpongioſo & demum quoque exulceratio. Perluſtrantes itaque Medicus Preusſius & Chirurgi ad id requiſiti, locum affectum, inveniunt cariem osſium ſubtus latentem metacarpum verſus latius ſerpſiſſe, neque aliud remedium curationis ſupereſſe, quam digiti infecti extirpationem, quæ etiam feliciter fuit expedita. *Caſus 3tius*

Et ſic Exempla a *cauſa interna* pendentia, quæ *ætatem* maxime *puerilem* concernunt, in medium prolata ſufficient, diſpiciendum nunc etiam erit, quid exemplorum extet vel occurrat in *ætate adulta*, partim ex *cauſa interna*, partim etiam ex *cauſa externa* pendentium, ut poſtmodum tanto melius, morbi tam ſontici diagnoſis formari poſſit.

Fœmina Caminenſis, Concionatoris Conjunx, Menſe Julii Anni elapſi 1725. ex impotentia pedis claudicans accedens ad Fontem Freyenwaldenſem, monſtrat pedem dextrum in metatarſo & planta admodum tumidum, rubentem, dolentem & pluribus locis exulceratum, ſimul inſigne aliquod fruſtulum oſſis carioſi, quod exierat ex parte pollicis pedis, quod den Ballen vocare ſolemus. Contraxerat hoc malum ante annum & quod ultra quadrantem ejus excurrit, ex tumore ibi orto rubente & dolente, quem *podagricum* eſſe omnes conſulti declararunt, propterea que varia epithemata repellentia fuerunt adhibita, ſed ferme cum metu pejoris retrocedentis mali, niſi menſtrua, quæ ſuppreſſa fuerant, materiamque ad generandum hoc malum ſuppeditaverant, fuiſſent tempe- *Caſus I.*

ſtive revocata. Iſta itaque intentione ut per Balnea aquarum mineralium iſtud malum arceret, acceſſerat Freyenwaldenſium fontem. Cum autem accerſito ſimul Chirurgo Cansdorffio, tumor admodum in planta æque ac metatarſo elatus & rubens, dolores perpetuos creans, ita conſtitutus eſſe deprehenderetur, ut totius metatarſi, imo vel tarſi etiam oſſa a carie inflata & exeſa eſſe reputarentur, ſaltem, ut aliquid ageretur, fotus particulares ut tentaret, imperabam, qui nihilominus inflammatoriam invitabant congeſtionem, (ſub qua tamen iterum acuta quædam oſſis ſpinula prodierat,) ut ſaltem ad ſicca & ex reſolventibus radicibus, Herbis & ſeminibus, parata Epithemata deſcendendum eſſet quæ ſtatim ſolabantur, ut pede melius niti potuerit. Cum autem hac ratione a ſuis remota medelam in Balneis mineralibus ſperare non poſſet, ſuum, conſilio inſtructa, focum, repetere neceſſe habuit.

Caſus 2dus. Alia Kiderwutzens Fœmina, contraxerat tale ad oſſa usque decumbens malum ante quinquennium, ubi primipara non rite ſatis lochiis expurgata fuit, ob papulas ſcorbuticas per univerſum corporis habitum efflorescentes, ſalivatione, ſuo debito regimine deſtituta perverſe, menſtruis ſemper manſis ſuppreſſis, tractata fuit. Revocata tandem fuere per medicamentum a quadam Medicaſtra acceptum menſtrua. Secundum mox intrans puerperium uteri purgamentorum menſiumque nulla iterum habetur ratio, quare in priſtinas per univerſum corpus evenientes efflorescentias ſcorbuticas cadit cum omnium artuum laſſo ſenſu. Iterum a famoſo quodam Chirurgo Caſtrenſi, hic locorum tum commorante, ſine ulla corporis præparatione, ſine omni debito regimine ſudorifero, ſalivatur. Tali modo, materia magis retro & intro acta, hinc inde formavit in manibus & pedibus artuumque juncturis dura livido-rubentia tubera, ſenſim exulcerata facta. In metatarſis ab inæquali & infida coalitione inæquales apparebant eminentiæ, acſi talpa ſubtus fodiens illas elevaſſet. Ad cubiti utriusque condylos nodoſus rubens & dolens tumor aperturam minans, conſpiciebatur. Et quanquam de præſenti, oſſium nulla facta erat ſeceſſio, dubitandum non erat, illam rebus ſic perſeverantibus, indiesque magis invaleſcentibus, aliquando eventuram eſſe, niſi Balnea fontis mineralis Freyenwaldenſis, quæ ferre poterat, curſum mali in hoc ſubjecto, ad hoc tempus ſufflaminaſſent. Talis erat æſtate anni elapſi 1724. Pejor tamen iterum eſt, & ſemper clinica, hoc quo hæc ſcribo, anno.

Eodem

Eodem Anno 1724. accedebat etiam ad Fontem mineralem ho- *Caſus 3tius*
neſta Vidua Berolinenſis, parcius menſtruata cum quadam decolora-
tione, quæ ex antecedente diuturno capitis clavo, qui id in vertice ha-
bebat peculiare, ut ſenſum daret quaſi glaciei impoſitæ, poſt reiteratam
ſalivationem incongrue adhibitam, decubitum humorum nacta eſt ad
baſin oſſis frontis oſſisque ethmoidis; quamobrem continuo fremen-
ti circa ſummitatem naſi ut & in dicto loco frontis, hærenti dolori per
diu æque ac noctu, cum ardore & tumore per intervalla magis elato &
conſpicuo rubente ſubjecta fuit.

Cum ad præoccupandum gravius malum, quod inſtare videbatur, multa remedia ſanguinem purificantia ſic dicta, reſolventia & antivenerea incaſſum adhibuiſſet, Conſilium quod aquas Pyrmontanas bibere deberet, etiam iniit, ſed cum inſecuta Menſtrui ſanguinis emanſione, malique nulla diminutione. In his circumſtantiis conſtituta, adiens Freyenwaldenſium fontem, Balnea quidem ibi tentavit, remediaque alia appropriata illis junxit, ſed præter revocatum menſtruum fluxum nihil obtinuit ſolatii, ita ut hoc ipſo tempore quo vivimus, ſuo malo detineatur. Et a Chirurgis ad denuo ſuſtinendas ſalivationes conſtanter animetur. Et quid ſic aliud tandem metuendum eſt, quam caries, quæ ſi oſſis frontis ſimul tetigerit ſinus, conclamatum erit.

Caſus, quæ ab *externa cauſa* evenientem *ſpinam ventoſam* ſiſtunt, frequentius apud Autores offenduntur, & abuſive magis hac nominis appellatione notantur, cum ad generalem ſatius Cariei oſſium denominationem referendi ſint. Ita in *Ephem. N. C. Cent. IX. & X.* habetur *Caſ. 1mus*
obſervatio 35. Mauchharti, quæ ex ſubluxatione tarſi male per adſtringentia, pejus porro per calidiora oleis deſtillatis acuata Unguenta, peſſime demum per ſalivationem tractata, in viro alias robuſto, in pedis oſſium cariem, ibique ſpinam ventoſam, vocatam, lethaliter ceſſit.

Idem Mauchhartus ſtatim aliam ſubjungit Obſervationem 36tam *Caſus 2dus*
Ubi ex *diſtorſione carpi ſiniſtri* eveniente tumore, ſed ſiniſtre iterum tractato in lotrice quadam evenit caries oſſiculorum ejus, cum eventu lethali. Plura talia hinc inde apud Autores extant, quorum recenſitione autem nunc ſuperſedere placet.

His diverſis diverſarum cauſarum Caſibus pro empirico fundamento præmiſſis, deſcendam nunc planius, ſed ſuccincte ſaltem, ad rationalem hujus morbi explanationem, ubi primum eſſe ſolet ipſius

Definitio. Blancardus illam nobis in ſuo Lexico ita reliquit, quod ſit *Exulceratio, qua oſſa ab humore maligno, ſine ullo perioſtei dolore, corrumpuntur, poſtea orto œdemate indolente, pars affecta exulceratur, unde non raro partis amputatio ſubſequitur.*

Differentiam ſpecialem, qua ſpina ventoſa a quavis alia in oſſibus eveniente carie diſtingui debet, ponit autor *in humore maligno, ſine ullo perioſtei dolore, oſſa corrumpente.* An dicta hæc cum factis conveniant diſpiciamus pauliſper.

Merito quæritur, *an humor, qui malignus appellatur, & in loco prout Caſus fert, oſſa corrumpit, de univerſo ſanguinis maligno ſtatu teſtetur, aut an ſaltem partialiter talis ſit in loco affecto?* Præmiſſæ hiſtoriæ docent, humorem ita dictum malignum, antea cum ſanguine commeaſſe, & ad excretionem deſtinatum fuiſſe, cum autem externæ intervenientes cauſæ hunc actum impediverint, neceſſum fuit, ut materiæ ad excretionem ſemel pro ſemper deſtinatæ, fieret *translatio*, pro diſpoſitione *partium debilium*; quibus natura ferre auxilium ſponte & vitaliter docta eſt, *ad has maxime partes.* Sic retropulſa Achoroſa materia, ſic lymphæ & ſeri mutua, rhevmatico arthritica pathemata inducentia vitia: ſic Variolarum non ſatis expurgata materia: ſic denique venerea miasmata ad gnatos traducta, ſi congruo modo & loco non evacuentur, non inſita vi, non mechanismi, quo humores in tabulis ordinarie feruntur, motu, ſed ſentientis & intelligentis principii directione per Tonum *congeruntur ad partem* alias jam tum pati ſuetam & *debilem* vocatum.

Adeoque *materia* pro differentia genii morbi ad excretionem deſtinata, ſed denuo evacuanti principio invito obtruſa, & *activitate fermentativa* pollens, maligniorem in principio ſentiente creat ad perceptionem, (animadverſionem) ut nolens volens quantocius ex commercio humorum alicubi, (quod ſemper ſunt *partes debiles,*) ſegregari & deponi debeat. Sic autem extravaſata ſtagnans & ſubſiſtens, naturalem phyſico moralem exigit proceſſum, ut mediante motu inflammatorio congeſtorio, ſi poſſibile eſt, diſcutiatur & cum appulſo ſanguine diluatur & auferatur, aut, ſi non posſibile eſt, in pus laudabile vel malignum ulcus vertatur.

Cur autem *ad oſſa deponatur maligna hac materia?* altius debet inquiri. Quodſi præmiſſas hiſtoricas relationes retro intueri placet,

depre-

deprehendemus, morbum ejusque tempora, concinne diſpeſci poſſe in initium, incrementum ſtatum & declinationem, quæ poſtrema potius extremum corruptionis eventum involvit. Initia hujus mali deprehenduntur ſuperabilia; Incrementum videtur oſſeas, & ſuperſtratas tendinoſo-muſculoſas partes in incrementum inflammationis rapere, & ſi tunc tempeſtiva, ſed congrua fiat remediorum applicatio, ſtatus adhuc eſt medicabilis, præſertim in pueritia. Ubi autem ad ſtatum, id eſt factam ex ſtaſi non diſcuſſa communem osſis cum ſuperſtrata carne, exulcerationem, perventum eſt, tunc reſtitutio non amplius datur in integrum, ſed corruptarum partium a ſanis quovis modo meditanda eſt ſeparatio.

Cum itaque diuturnitate invaleſcat malum ad oſſa usque delatum, diſpaleſcit inde, quod apud imperitum vulgus, ex parte patientum, perverſus rerum non naturalium uſus, & ex parte medentium Chirurgorum & Chirurgaſtrorum profunda ignorantia, & hinc perverſa externorum remediorum ad initia mali, applicatio, omne abſolvat punctum, quo materiæ ad artus depoſitæ, profundior fiat repercusſio ad oſſa usque. Quorſum etiam pertinet maledictus ſalivantium mercurialium abuſus in quibusvis caſibus, ubi morbi ratio audaci tentatori non ſtatim patet. Talia enim, ſi debita ſudorifera regimina non concurrant, miasmata talia maligna tunc non educunt, ſed inducunt potius profundius, ad oſſa, ut demum res fiat conclamata, prout in Exemplis allatis res ipſa loquitur.

Quod autem *oſſa corrumpantur ſine perioſtii dolore*, ut vult Definitio Blancardi, rei facti contrarium eſſe, deprehenditur. Scio quidem, quod perioſtium in ſe non doleat, niſi eſſet tenſum ſenſu vitali instructum, hujus itaque intuitu ut doleat neceſſum eſt. Nec opus eſt ut eſſentia doloris, ſecundum mentem novisſimorum Philoſophorum, in ſolutione continui reponatur, ſed ſufficit ſi perioſtium ſaltem ultra naturalem modum vel gradum in ſua fibroſa textura tendatur. Et cum ex poſt facto pateat compagem osſium intrinſecam in his caſibus per omnem dimenſionem tumefieri, ut ſuperextenſum perioſtium quoque tantam prius ſenſibilem & acutum dolorem inferentem extenſionem, patiatur, quam ruptura ſive ſolutio continui fiat, opus eſt. Nec tenſio ad inferendum dolorem ſufficeret, niſi etiam ſentiens principium

præ-

præſto eſſet, quod nec æther nec fluidum quodcunque nerveum ſuppoſitum eſſe poteſt, quia talis affectio in illa cadere nequit.

An porro *humor malignus oſſa corrumpat?* uti vult Definitio, inquirendum eſt. Phyſicam hic univerſa Medicorum ſchola ab humore maligno exigit qualitatem materialem & figuratam, qua per motum ætheris fluidorumque actuatus, agat in poros oſſium compagemque illorum diſcontinuet. Debent hinc prætendere humorem malignum hanc qualitatem ſaltem in iſto quo ſtagnat loco, ſecluſum a reliquo ſanguinis commercio, contraxiſſe, infenſisque ejus particulis ibi ſaltem figuras ad incidendum, fodiendum, rodendum, elibrandum &c. aptas efformatas eſſe, quod creditu abſurdum eſt. Quodſi enim tam hoſtilem figuratam qualitatem jam ante depoſitionem ad locum habuiſſet, alibi facilius læſionem inducere potuiſſet, quod tamen non factum.

Docent potius hiſtoriæ Caſuum præmiſſorum, materiam ad oſſa depoſitam ibique ſtaſin formantem, ſimilem habere phyſico moralem rationem intuitu principii ſentientis & intelligentis ſuique corporis conſcii, quam alias habere ſolent, in partibus carnoſo-muſculoſis extravaſati ſanguinis ſtaſes, nempe apparatum inflammatorium mediante pulſu generatim & tono ſpeciatim inſtructum, qui in partis affectæ tumore, rubore, calore & dolore præ reliquis conſiſtit, diſcuſſionemque ſtaſeos poſſibilem intendit. Ut adeo figuratarum, cuſpidalium, cuneiformium, acidarum, corroſivarum particularum præſentia opus non habeamus, ſed ſaltem ſpontaneæ ſtaſeos extra vitæ commercium poſitæ corruptione putredinoſa, ad diſſolvendam partium ſolidarum & continentium compagem, quam tamen inflammatio, pro morbo vulgo habita, in progreſſu ſalutariter reſtringit.

Quod *Oedema indolens poſtmodum oriatur*, vult habere definitio. Ubi Autor confundere videtur Cariem oſſium quamcunque cum ſpina Ventoſa. Nec alii Autores in hoc paſſu exactiores obſervantur, quippe v. *Diſſert. Acad. Schellhammeri Kiliæ habitam de ſpina ventoſa Cap. 3.* promiſcue cariem a cauſa externa & in media quoque oſſium ſolidiore ſubſtantia, ortam, æque *ſpinam ventoſam* vocare conſuevere. Et quod tali a cauſa externa proventæ ſpinæ ventoſæ tandem œdema ſuperveniat, *Acta Medic. Berol. Dec. I. Vol. III. ſect. II.* notabili exemplo *pag. 74* & ſequentibus comprobant. Cui addo Caſum *Mauchartı* ſupra ex *Cent. IX. & X. Ephemer. N. C.* citatum *obſervatione 35ta* ut & Caſum Regiomonti

Borus-

Boruſſorum in *Diſſertatione* academica a *Petro Møllero Prof. Publ. Anno 1673.* ſub hoc titulo ventilatum cum adjecta pedis tumidi effigie.

Exquiſita autem ſpina ventoſa ex cauſa mere interna proveniens, œdematoſum non format tumorem, neque in initio, neque in incremento neque in ipſo ſtatu, format potius ob oſſium compagem ſubtus expanſorum & majus ſpatium affectantium ſtatum, tumorem duriorem, qui etiam poſt exulcerationem in ſuperſtratis partibus factam in ambitu manet tactu durior & ſordeſcens. Quod autem natura horum ulcerum fungoſo-laxas & luxuriantes admodum excreſcentias ferat, iterum cum œdemate non confundendum eſſe reputo.

Et quod *œdema* tale, pro ſpinæ ventoſæ inſeparabili ſymptomate habitum *indolens* eſſe dicatur, a vero multum abludit. Ante enim ſenſibiliſſimi, acuti roſivi & terebrantes adſunt in parte affecta dolores, teſtimonium ferentes de intrinſeca actione tenſione deſtructoria, quam facta in oſſium meditullio corruptio ſerpendo ſuperſtratas partes in ſui communionem traxerit. Nec poſſum invicem conciliare quæ *D. D. Junckerus in Tabula LI.* ſub loco de ſignis de ſpina ventoſa refert, quod *tumorem ventoſum exhibeat cum doloribus exquiſitis*, mox autem pergit, *dolores per contactum non exacerbari*, qui certe tunc maxime, quando corruptio adhuc in occluſo eſt, per contactum Chirurgorum exacerbantur, ut infantes propterea auxiliatrices manus, mente nondum ſatis compotes, cum ſuo damno repudient. Imo non ceſſat tumor qui aperta quoque ulcera ambit & obſidet ad contactum, multum tamen remiſſius, dolere, dum ex hypotheſi, eſſentia doloris conſiſtat in ſolutione continui, tunc cum conſummata eſt, deberet dolor exquiſitior eſſe, qui tunc potius remittit, valor ejus in aprico eſt.

Tandem vult Blancardi definitio, *partem affectam, exulcerari.* Ubi iſtis notionibus non ſaltem oſſa occluſa corrupta eſſe, ſed corruptionem etiam ad ſuperſtratas molliores partes communicatam eſſe indigitare voluit. Quare ad peculiarem, hujus affectus genium id pertinet, quod non more alius cujuscunque cariei, antecedentibus partium carnoſo-tendinoſarum profundis abſceſſibus, præſertim incongrue tractatis ſuperveniat, ſed ex ſtaſi humorum in meditullio illorum concepta, quaſi ex centro ad peripheriam tendat. Nec credere debemus id quod corruptum eſt, morbum eſſe, ſed apparatum illum inflammatorio-de enſo-

rium, morbum eſſe, quo partes adhuc ſinceræ, ne in commercium corruptionis trahantur, ſartæ tectæque vindicantur. Ut adeoque & hic morbus, quod paradoxon eſt plurimis, non ſit *Chirurgi* hoſtile & infenſum *objectum*, quod directis refrigerantibus, repercutientibus, ſaturninis & adſtringentibus impetere debet, quod potius, tanquam juvandi & defendendi medium melius ad obtinendum implicitum finem ſcilicet ſalvationem partis quatenus poſſibilem, omni modo inſtruere tenetur.

Nec *debiles* antea vocatæ *partes* quæ morbi *ſubjectum* eſſe ſolent, offendiculo nobis ſint, acſi tales ita vocarentur quod viribus deſtituantur? minime gentium, ſed propterea debiles vocantur, quia pati debent affluxum & congeſtionem ex conſuetudine prægreſſa. Loca enim, præſertim colatoria, ubi ſolennius excretiones humorum vel quantitate vel qualitate peccantium celebrari aut ſaltem per apoſtaſin occupari ſueverunt, ſunt debiles iſtæ mentionatæ partes, quas principium ſentiens & intelligens in vitali tenet reminiſcentia, ut illas data occaſione & iterum occupet & pro rata defendat. Si faterer, quod in dicta occupatione principium intelligens in errore quodam ſpeciali verſetur, crabrones irritarem, quod nunc de tempore non eſt, quare dicta ſufficiant. Hoc ſaltem ad recolitionem offero, *in Mechanismum nullos cadere errores, quales tamen in naturam intelligentem cadere obſervantur.*

Morbum eſſe *novum* ſpinam ventoſam, dicunt Autores, notionisque inventionem Arabibus deberi, quæ cum nonnullis minus adæquata videretur, placuit multis *Severini* appellatio, qua illam *pædarthrocacen* vocavit. Heinſius in tentamine ſuo de præcipuis oſſium morbis Theſi XXXIII. vult. Hunc morbum *vix ante Luem Gallicam notam fuiſſe, ſed ejus forte infauſtam prolem principium ſimulque incrementa ex ea ſumſiſſe.* Nec male videtur hæc ratio cum morbi cauſis cohærere. Quemadmodum enim Lues venerea, ita & Variolæ, ab Arabum temporibus magis innotuere, & quid obſtat credere puerorum præcoces & olim huic ætati inſolentiores ad rhevmatico-arthritica pathemata vergentia, uti pro hæreditariis parentibus in acceptis ferendis habendæ; ita a ſuſceptis venereis miaſmatibus adeo immunes eſſe, non poſſe. *Achorum* & *Tineæ* materiæ individuatim venereum miaſma implicari poſſe nec minus ambigendum eſt, cum inter centum achoroſos puerulos, vix u-

nus

nus & alter, a repercuſſa licet materia, ſpinam ſpeciatim ventoſam incurrat.

Morbum *puerilem* eſſe ſpinam ventoſam, *a cauſa interna* oriundam, cum *Severino* plures contendunt Autores, quod autem falſum eſſe exemplis adultorum præmisſis, confecimus. Silet hunc morbum inter morbos ætatis puerilis, *Hippocrates*, eoque ipſo, quod propiora tempora tulerint, quæ non cognita fuere in priſtinis, abunde pateſcit, nobisque relictum eſt veſtigiis Hippocratico empiricis inſiſtere, & ex novorum ſurgentium morborum phænomenis, eventus & veritates eruere, ad ſupplendos veterum hiatus. Hinc noſtro tempore, loco, victu, diverſi diverſis hominum ætatibus nunc asſignandi ſunt novi morbi, qui veteres fugerunt. *Scorbutus*, *Lues Venerea*, *Febris puncticularis*, *Lues pannonica*, *Morbus novus ſpasmodico convulſivus epidemicus*, die Steiff-ſucht, Kriebel-Kranckheit, *Rachitis*, & demum *Spina* noſtra *Ventoſa*, ſinguli ſibi ſua poſtulant ſubjecta ſecundum ſexus & ætatis differentiam, ſecundum aërem, aquam & locum commorationis, ſecundum occaſionem quam tempora ferunt, ſecundum victus differentiam qui vel ſimplex eſſe poteſt vel aromaticus & variatus, ſecundum conſuetudinem vel connatam hæreditariam, vel acquiſitam. Atque ſic admodum perſuaſus ſum morborum antiquorum æque ac novorum genium hodiernum, in tantum a genio olim a prædeceſſoribus noſtris obſervato mutatum eſſe, quantum morum, victus & univerſæ vitæ hodiernæ hominum ratio deſcivit a moribus, victu & vivendi ratione veterum. Propterea morbis hodienum oriundis aromatica noſtra ex Indiis petita diæta, ſua quam ſanguini noſtro conciliat diatheſi ſua quoque infert miasmata, quæ activitatem climati noſtro difformem in humoribus noſtris nacta, attentiorem ad rem vitalem reddiderunt & exigunt hodie Naturam in morbis.

Diximus, quod *oſſa* in præſenti morbo *ſpina ventoſa* dicto, *in occluſo corrumpantur.* *Quod ſtaſis & extra vaſcula capillaria locata & ad excretionem deſtinata humorum portio, ſpecificum ſuum miasma ferens, neceſſario prima corruptionis materia fit, fermentique rationem habeat,* nunc demum explanare, animus eſt. Et in hac conſideratione concentrabitur totius ſuſcepti thematis mei prolixior ambitus.

Fermentorum & fermentationis naturam a priori docet Chymia.

Empyrice autem cognoſcitur in œconomicis diverſis negotiis in Pa[illegible]cio, Zythopœia & vinoſa fermentatione. Ubi crasſiores ſtatim in ſenſus cadunt quædam circumſtantiæ, quæ intrinſecam adeſſe actionem nempe partium mixtum conſtituentium reſolutionem, tranſpoſitionem, & ab incluſo & per calorem inflammatorium rarefacto aëre, turgeſcentiam materiæ, monſtrant. Cum autem animalia mixta fermentationi ſui generis, nempe putredinoſæ, ſint ſubjecta, illaque pro diverſitate texturæ, vel humorum alluvionis, in modo fiendi vel præcipiti vel longas moras nectente, variet, noſter caſus oſſa præcipue monſtrat, in quibus, ob texturam denſiorem, mixtionemque magis terreo pinguem corruptionis putredinoſæ modus ita reſtrictus eſt ut non ſaltem ſit admodum lentus ſed & minus, quam in aliis cariei ſpeciebus, putens.

Progreſſum corruptionis osſium, præſertim in occluſo, ubi externus aër non accedit, retardare videtur, terrea illorum indoles. Putorem autem, qui alias in pinguibus partibus ad corruptionem ruentibus, præſto eſſe ſolet, credo præoccupaſſe, motum, qui etiam in profundis eſſe ſolet, inflammatorium, alluendo abſtergendo, per arterias, abſterſum agile revehendo per venas. Aliæ autem cariei osſium ſpecies, acceſſum aëris ad nuda expectant oſſa, ſtaſiumque humorum corruptiones in ſuperficie ſtatim in communione carnis ad puredinem magis præcipitis experiuntur, quæ gravius tum putere ſolent.

Quod autem oſſa in occluſo in corruptionem tendentia, ita expanſa, exeſa, turgida, pumicoſa & friabilia offendantur, non mirum eſt, cum ex Machinæ Papinianæ experimentis conſtet, quid calor & humiditas cum aëre incluſo rarefacto in occluſo polleant. Ut adeo id quod impetu brevi in tali machina præſtari poteſt; hac ratione in noſtris caſibus morbidis, duratione tanto diuturniore, modo minus violento, in occluſo pariter obtineatur.

In tali ſtatu ſunt oſſa intrinſecus in tumoribus inflammatis conſtituta, antequam per ſuperſtratas partes tendineo muſculoſas facta eſt perruptio vel ſponte natura, vel artis adminiculis. Ubi autem perruptio facta eſt, non expectanda eſt laudabilis puris, uti alias in boni moris abſcesſibus fieri ſolet, ſed ſaltem tenuis ichoris & ſeri acris, effluxus, qui ubi tendineas ſimul partes in communionem corruptionis traxit, dolorque urgeat, ſæpius copioſus per nycthemerum eſſe ſolet, ut de meliceria

ceria quid acceſsiſſe, omnino cogitandum ſit. Attamen ater & admodum putens fluxus ille ichoroſus ex ulceribus noſtris promanare non ſolet, nec oſsiculorum fragmenta protruſa vel exemta atro tetroque colore & odore uti alias in carie ſolet, infecta, notari ſueverunt.

In Tarſis & metatarſis, in Carpis & metacarpis, tanquam partibus exſanguibus, quales etiam juncturæ & articuli partium humani corporis eſſe ſolent, ubi multorum contiguorum oſſium invaleſcit corruptio, ligamenta & tendines, per quos ſaltem tenuis lympha vel ſerum colari ſolet, ſimul diſcontinuantur, idque quod habent, aut per ſe transmittunt, etiam plorant.

Et cum apud Naturam intelligentem illud valeat principium, *in continuo ſoluta iterum eſſe coadunanda*, quod in omnibus vulneribus recentibus oſſiumque fracturis, locum habere obſervamus. Ipſaque illa ſit qua vi hujus principii, discontinuatas partes combinat, imo eadem illa ſit, quæ initio univerſam corporis compagem, ſervata ſemper proportione & ſymmetria, & conſtruxit & nutrivit, quæ nunc in continui ſolutione, Balſami: emplaſtrisque otioſis, & fibras fibris nectit & materiam calli, ad conglutinandum oſſa fracta, & ſubminiſtrat & applicat.

Vi hujus innati principii, nunquam otioſa Natura etiam in vulneribus & ulceribus apertis, ſtudium ſuum admovendi, apponendi & ſtruendi etiam in excreſcentiis fungoſis, ſed admodum luxuriantibus & laxe textis, attamen ſuis ad appellendam materiam aptis vaſculis, (propterea facile, ubi ruditer tanguntur, cruentantibus,) inſtructis, monſtrat. Hinc *tendines* ſuas peculiares offerunt fibroſas & tenacioris texturæ ſed laxiores exſangues excreſcentias, quas Germani Glied-Schwämme appellare ſolent. *Ex meditullio oſſium*, quatenus folliculis membranaceis pinguedinoſa illorum materia continetur, ſuisque vaſculis ſanguiferis ad & re-vehentibus gaudent, exſurgere videmus laxam, luxuriantem, fungoſam carnem, qua oſſa carie tacta, intempeſtive, ne exfoliari queant, obteguntur & hinc Chirurgi labores ad procraſtinandum diſponunt. *Ex oſſibus* ipſis videmus oriri in ſtatu læſo, ubi perioſtium convexitatem oſſium æqualem deſeruit, miras & magnas exoſtoſes & lamellarum ſuperimpoſitiones. Quæ acta & facta in proprio corpore teſtantur de inhabitantis principii vitalis & intelligentis non otioſa actione prægreſſa.

Hinc non poſſum non intima admiratione perfundi, quando menti meæ Ideam iſtius Tibiæ, ſtupenda & ſimul curioſiſſima carie affectæ, quam Tu, Vir Clariſſime in Natura æque ac in exacta effigie, aſſervas & conſervas præfiguro. Ubi duplex ſtruendi ratio conſpicienda fuit & adhuc, ex parte osſis, eſt. Occupaverat caries maxime caput Tibiæ, quod inferiorem partem femoris reſpicit, illamque cum ſua natura poroſioris fuerit ſtructuræ, in tantam ampliaverat latitudinem, ut quaſi nidum ibi reconditum fuiſſe, ſimularet, ubique perforatum, exoſtoſibusque innumeris obſitum, in quo nido fungus delituerat, pugni magnitudinem ſuperans. Qui qualem originem habuerit, an ex tendinoſo ligamentoſis partibus, an potius ex osſium medulla, ſuccreverit, cum rei non ſatis gnarus ſim aſſerere non audeo, ſtupendum ſaltem hoc os Tibiæ intuentibus eſt phœnomenon. Nec apparet in ultra modum præternaturaliter expanſo hujus osſis capite aliquod in fundo, qui canalem reſpicit, veſtigium per quod Fungus cum medullari ſubſtantia ac ſi ex illa procreviſſet communicationem habere potuiſſet. Probabilis hinc admodum eſt præſumtio, originem fungi ligamentis genu discontinuatis, (an forte etiam ex intrinſeca vel alia cauſa, non conſtat,) deberi, qui cum incrementa ſub temporis longa duratione, remediorumque inconcinna applicatione ſumſerit, patellam extra ſitum poſuit, &, exulceratione cum carie ſuperventa, talem nidum intra caput osſis tibiæ, pro domicilio nactus ſit, qui cancroſus & incurabilis una cum inſolenti carie reputatus, ut pes ultra genu amputaretur, ſuperſtite ſuo nunc adhuc Viro, autor & valida cauſa movens fuit.

Nullus itaque dubito in *fungoſarum* ex diverſis partibus læſis diverſum etiam *excreſcentiarum* geneſi, *naturam formatricem* accuſare, quicquid etiam ogganniant fautores Syſtematis Influxus phyſici, id enim quod palpabilibus factis conſtat, quæ intelligentiam implicant, & fiendi rationem extra ſe poſitam habent, cur aliis peregre & e longinquo accerſitis cauſis adſcribam, non video cur opus habeam. Qui talia prætendunt, velim ut attenti actionum naturæ obſervatores a præjudiciorum labe immunes, aliquandiu, & non proletarie fuiſſent, forte mens illorum ad meliorem frugem reditura foret. Ad teſtem omni exceptione majorem provoco, *Hildanum*, qui variis in locis ſuarum obſervationum, videlicet *Cent. I. Obſ. 15. Cent. II. Obſerv. 36.* & in *Epiſt. Reſp. ad Dorin-*

Doringium Fungorum in diverſis corporis humani partibus eroſis propullulantium exiſtendi rationem collocat expresſis verbis *in Naturæ circumſpecta indole*, *qua denudatas membranas*, *denudatos tendines & ligamenta*, *denudata oſſa vult eſſe tecta*, *& ab aëris allabentis*, *injuriis defenſa.* Talesque fungos deſcribendi modos, ipſe fiendi modus cum preſſa obſervatione, ex hoc Autore expreſſerunt. Meretur hinc cum attentione legi obſervatio citata *36. Cent. II.* Ubi ſimul in fine ferme ſimilia a carie & exoſtoſatione deformium factorum osſium exempla, ac illud eſt, quod Te, Vir Clarisſime, aſſervare dixi, citat, quæ ſibi quoque curioſe ſervavit.

Hæc brevis empirico rationalis *Spinæ ventoſæ* deductio, abolebit, ſpero, ex mente noſtra omnem in perioſtio, pro prima & proxima cauſa a Dno Petito locatam elaſticitatis ſuppoſitæ, debilitatem, ut pasſivæ ſaltem fiant ſtaſes, & obſtructiones. Quali obſtructiones pro proxima hujus morbi cauſa, venditanti ſententiæ etiam *Bœrhavium* aliosque neotericos noſtros favere deprehendo *in Aph. ejus* de cognoſcendis & curandis morbis §. *526.* Quæ cauſarum ratio, cum mere caſualis ſit, hiſtoriæ morborum præmiſſæ non quadrat, utpote quæ in ſingulis Exemplis manifeſtam proæreſin implicat, ut inter facta & rationem fiendi pesſima emergat contradictio.

Nolo amplius Tua, Vir Doctisſime abuti patientia, nec ad peniriorem diagnoſeos & prognoſeos evolutionem, quæ ex antedictis facile eruenda eſt, devolvi. Miraberis forſan, quod de osſium morbis aliquid ad te perſcribere voluerim, qui osſium naturam ſatis ipſe ruſpaſti, non ſaltem in ſtatu ſecundum naturam, ſed & in diverſo ſtatu præter naturam. Sed noſti meam ad obſervationes practicas, ut inde ad emendandam morborum Clinicorum hiſtoriam neceſſaria ipſiscum nata momenta depromerem, mentis propenſionem, quare mihi omnem, quam a te pro tua humanitate expectare poſſum, benevolentiam, promitto, nullus dubitans, etiam illa tibi grata fore, quæ tibi in anteceſſum fuere notisſima.

Inſolentior, quem in Themate tuo inaugurali explanas, caſus patiatur ſic quandam pro Lectoribus commutationem ut cognita nimis cum inſolitis, & quotidiana cum rarioribus miſceantur, id quod gratum & acceptum eſſe ſolet.

Anni

Anni effluxerunt tredecim, fuitque millesimus ſeptingenteſimus decimus tertius, quo in mei notitiam primum veniſti, mihique curationes æſtivales ad Fontem mineralem Freyenvvaldenſium proſpicienti, Socius adſtitiſti, & abhinc noſtra mutua perſtitit Amicitia. Fateor mihi ſemper admodum gratam, imo gratisſimam fuiſſe converſationem tuam, ſemper in Te obſervans ad ſtudia, ad Medicinam, ad Anatomiam Practicam ad Praxin Clinicam indefeſſum ardorem & applicationem. Accedis ad ſacra Hygieines præmia non vulgari modo, qui in abſoluto & quod multum eſt, in reiterato ad univerſam Medicinam per omnes ejus partes requiſito curſu, conſiſtit, ſed longæ & poſt reiterato abſolutum curſum exercitæ artis panoplia ſufficientisſime inſtructus. Noſcit te Berolinum noſtrum, ut artis dudum initiatum. Noſcit te ut plurium praxin ibi exercentium & denatorum & adhuc in vita exiſtentium Vicarium. Noſcit te ut frequentem Anatomiæ Practicæ Asſiſtentem. Noſcit te aliquandiu ut Proſectorem Theatri Anatomici. Noſcit Te ut Practicum Clinicum exercitatum. Noſcet Te tandem etiam ut Brabeo doctorali ſatis maturum inſtructum. Quod ut felix fauſtumque eveniat ægrisque tuis mox iterum Conſiliis & ope a Summo Divino Numine ad ſupremam tua fata usque ad votum benedicta adſiſtas, eſt, quod animitus voveo. Vale. Dabam ex Muſeo, 12. Calendarum idibus Novembris Anni 1726.